Jhs.

Archivum Romanum Societatis Iesu

Hisp. 11

Ego Franciscus del Castillo professionem facio, et
promitto Omnipotenti DEO, coram eius Virgine Matre, et Uni-
versa caelesti Curia, ac omnibus circumstantibus, et tibi R. P. Francisco
Lupercio de Zurbano Praeposito Provinciali in hac Peruana
Provincia Vice Praepositi Generalis Societatis IESV, et successo-
rum eius locum Dei tenenti, perpetuam Paupertatem, Castitatem, et
Obedientiam, et secundum eam peculiarem curam circa puerorum eru-
ditionem iuxta formam vivendi in litteris Apostolicis Societatis
IESV et eius Constitutionibus contentam. Limae, in Ecclesia Collegii
D. Pauli Societatis IESV, sexta die Februarii anni 1650.

Franciscus del Castillo.

IHS.

Ego Franciscus del Castillo Professus Societatis Iesu promitto Deo omnipotenti coram eius Virgine Matre, et tota Curia Coelesti, et coram R.do P.e Francisco Superçio de Zurbano Praeposito Provinciali in hac Peruana Provincia locum Generalis Praepositi tenente nunquam me acturum quacumque ratione, vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa Paupertatem in Constitutionibus Societatis immutentur; nisi quando ex iusta causa rerum exigentium videretur Paupertas stringenda magis.

Praeterea promitto nunquam me acturum vel praetensurum, nec indirecte quidem ut in aliquam Praelationem vel Dignitatem eligar vel promovear in Societate.

Promitto praeterea nunquam me acturum, praetensurumve extra Societatem Praelationem aliquam vel Dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactus Obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati.

Tum, si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare, vel praetendere, promitto illum, remque totam me manifestaturum Societati, vel Praeposito eius.

Insuper promitto si quando acciderit, ut hac ratione in Praesidem alicuius Ecclesiae promovear, pro cura quam de animae meae salute, ac recta muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Praepositum Societatis Generalem, ut nunquam Consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quivis alius de Societate, quem ad id ipse substituerit dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quae mihi in mentem venerint, iudicabo. Omnia intelligendo iuxta Societatis Iesu Constitutiones et Declarationes. Limae, in Sacristia Collegii Societatis Iesu die sexta Februarii, Anni 1650.

Franciscus del Castillo